

HONOREM
ONERI SOCIATVM
VIRO MAGNIFICO,
EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO

DOMINO
SIMONI
WEISSIO

DOCTORI MEDICO EXCELLEN-
TISSIMO,

CIVITATIS THORVNENSIS
PRAECONSVLI GRAVISSIMO,

Quum Is

PROTOSCHOLARCHA

Dic 14 Martii A. R. S. MDCCXXXVI

bonis ominibus
renunciatus fuisset,

lztum ac prosperum gratulari,

ejusque gratiam ac patrocinium,

omnicum obsequio & observantia sibi exorare
voluit

HELICON THORVNENSIS



T H O R U N I I

Impressit Ioh. Nicolai Senatus Thorunensis & Gymnasii Typographus.

Thorniades Musæ, veteres secludite nugas,
Decrevisse polum, propiusq; accedere terris
Flammantes Titanisequos, non aurea Phryxi

Sidera, non Taurum consueta sede teneri;

Iam Pisces mutasse locum, ardentemq; Leonem.

Hinc alio Cererem, atq; alieno sidere Cauros

Surgere, & inversum tandem volventibus annis

Ferri orbem; ut, quem sublimem forte Booten

Cernimus, hic Austrum illustret manesq; profundos.

Talia qui fingunt, ignorant, machina mundi

Quam siet arbitrio & quam certa lege Tonantis

Connexa, ut mutare vices, & rumpere fœdus

Naturæ nequeat, quamvis nemo illa negare

Audeat, ad finem properare ac tendere sensim

Infima cum summis, lucemq; instare supremam,

Tellurem quæ sideribus miscebit, & omnia

In nihilum rediget, melius quo prodeat ævum,

Ac melior coeli facies, quæ nesciat atram

Peccati nubem, ærumnas, & frigora lethi.

Interea stabiles numeros clarissima servant

Lumina, nec quicquam possunt abradere longa

Secula; stant convexa poli, atq; adamantina durant

Vincula, & antiquo decurrit tramite Phœbus,

Orbita non etiam est unquam mutata Sororis.

Regia si cœli firmum invictumque columen

Sic nacta est; terris esse immutabile pondus

Quis dubitet, rerum seriem cursumque tenere?

Vertitur Oceanus, fluxum tenet atq; refluxum,

Ne terram involvat fluctu, ne torpeat unda.

Thesauros depromit humus, Plutonia regna

Imis visceribus generant solare metallum,

Fratresque Aetneos vis ferri edura fatigat.

Iaspida, chrysolitum, clarumq; adamant, pyropum,

Margara submittit prædives India: fruges

Sarmatie gravidas, et classi ligna ministrat.

I I X U O H Pannon-

audiret quædam de amantibus unum, iocundis del. effugit

Pannonie nectar stillat vel Apolline dignum,
 Venisque argenti rivos ærisque metalla
 Quotidie profert; & adhuc Oenotria tellus
 Deliciis mensas onerat; sunt aurea poma,
 Est ver assiduum, est repetitis mensibus æstas.
 Russia quin etiam non falsa encomia poscit.
 Russia barbarica quondam feritate sepulta.
 Illa suas ostentat opes; stant oppida saxis
 Præruptis, stant fluminibus superaddita claustra.
 Regia, Victoris Magni quæ nomine PETRI
 Surrexit, luxuque & majestate superbit,
 Pallada susceptans gremio, sociosq; laborum
 Urania; duplici divorum munere dives,
 Et quod sceptræ tenet regnis contermina Serum,
 Et quod Castalias artes Helicone petitas
 Francigenum Batarumque tenet, fruiturq; petitis,
 Sic mortale genus, quamvis brevioribus annis
 Damnatum, vivit tamen, et generare Camillos
 Scipiadasq; solet: Carolos sua protulit ætas,
 Augustosq; dabit: florebut fortibus armis
 Eugenii, pluresq; alii, quos fulmina belli,
 Secula quos ventura canent fore germina Martis,
 Iamq; Thoroniades Musæ, meliora quid obstat
 Sperare, ut Patriæ redeat splendorq; decusq;
 Nondum concidimus, nondum est effæta senectus
 Pyrgopolis, letho ut propior se nesciat ipsam,
 Aut efferre caput. durabit munere divum,
 Casibus & major pacis prætendet olivam.
 STROBANDUM veneratur adhuc, qui fata Lyceo
 Prosperiora dedit, fecitq; emergere ab umbris.
 Manibus HUBNERI flores Hyblæaq; spargunt
 Munera Castalides, vigiles qui in commoda noctes
 Publica traduxit, qui risit iurgia famæ,
 Gessitq; invictos animos, seu nubila mentem
 Terruerint, seu pertentavit mollior aura.

DAPH

DAPHNIS noster amor longo memorabitur a vo,
Daphnis, quem tristi deflemus funere raptum.
Ille quoad vixit, caelesti rore maeabant
Pierii colles, incurvi ponderè rami
Spectabant terras: quem postquam fata tulere,
Exiit omnis ager violas, paliurus acutis
(Sic visum est superis) cœpit succrescere spinis.
Sed firmate animos: alius pro Daphnide Cygnus
Consurget, mirum visu, pro flore amaranti
Pæstaniſq; roſis albescet ſuaſve liguſtrum.
WEIſSIADeS PræConſuladeſt, quem ſumma Lycei
Flectere, quem P Atres jufferunt PROTOſCHOLarchæ
Munere conſpicuum Muſas fulcire labantes.
Hunc ornare decet, ſuſceptaque ſolvere vota,
Ut fiet ille diu vegetus, patriæque jacenti
Commoda longa ferat, vigeatque ſenilior ætas.
Dicite: MÆCENAS, noſtro ſol addite Pindo,
Suſcipe quos læti Tibi jam præſtamus honores,
Faxiſque, ut ſemper pateant Tua tecta Camœnis.
Vota quidem ferimus, modulis animata canoris,
Attamen & mentes pietas ſuadetq; jubetque
Obſeqvii plenas afferre. Inuicta Tibi mens
Semper permaneat, quando vel ferrea vexant
Tempora Pyrgopolin, vel dira Ceraunia terrent.
Uſque tuus maneat: robur Tibi præſtet Hygeia,
Sint vires virides: non illas tarda ſenectus
Infringat, non morbus edax, non cura moleſta.
Copia ſemper opes duplicet: tueatur honores
Gloria: fata parent nomen Gangetide gemma
Splendidius, quod non obliteret ulla vetuſtas.
Sic Te Numen amet, Mæcenas Optime, et ornet
Ut quoties Themidis penetratia ſancta ſubibis,
Atque ſalutabis liquidas Permeſidos undas,
Te DEUS ex alto pariter comitetur euntem,
Pondera conſiliis addat, cœptiſque favorem.
Sic mundi in ſenio nunquam Thorona ſenescet,
Si, qui curabunt publica, ſemper erunt.